DE

MAGISTRATU,

Quam

Adjuvante Jehovâ

SUB PRÆSIDIO


Clarissimi & Consultissimi Viri,

DN. CHRISTIANI Liebenthal/ J. U. D.

Eloquentiæ Professoris & p. t. Academiæ Gissenæ Rectoris Magnifici, Præceptoris & fautoris sui æternùm honorandi.

Publici exercitii gratia discutiendam proponit

JOANNES von Brock cognomento Plater.






GISSÆ,

Typis exscribebat PETRUS LUCIUS.

M. DC XXI.



Admodum Strenuis, antiquo ſtemmatis ſplendore
Virtutumq; heroicarum decore Nobiliſſimis,

DN. JOHANNI von der Reck / Domino in Steinfurt.

DN. HENRICO von Capell / Hæreditario in Wedring.

Dnn. Mecœnatibus, Fautoribus, & Affinibus æterno obſervantiæ cultu proſequendis,

Hanc diſputationem Politicam in honoris & amoris teſtimonium inſcribit & offert,

Johan: von Broel cognomento Plater.



THESIS I.



VOCABULUM Magiſtratus à Magiſtro, quod moderari vel gubernare ſignificat, deducitur. Hinc Magiſtratus alio nomine Moderatores, gubernatores Reipubl. & Adminiſtratores juſtitiæ appellantur.

2. Ab ipſa Natura Magiſtratus origiñe duxit & à Magiſtratu Oeconomico deſcendit. Omnes enim priſcorum hiſtorias, omnes olimpiades, omnes Monarchias tranſcendit & ad Magiſtratum Oeconomicum ſeſe refert. Nam homines aſſueti in familiis patrifamilias obſequi & morem gerere tranſilientes in civitatem, unum ſibi conſtituerunt, qui Magiſtratus munera obivit.

3. Sumitur interdum *Formaliter*, interdum *Materialiter*. *Formaliter* ſumitur pro ipſa poteſtate ſeu officio Magiſtratus. *Materialiter* pro ipſis perſonis in officio Magiſtratus conſtitutis.

4. Definimus Magiſtratum (*voce hic non abſtractè ſeu formaliter, ſed concretè, hoc eſt, materialiter poſita*) Perſonam publicam legitimâ imperandi poteſtate inſtructam ad benè regendam Rempubl.

5. Diſtinguitur Magiſtratus duplici potiſſimũ modo: *Vno modo* ratione poteſtatis: *altero modo* ratione numeri.

6. Ratione Poteſtatis diſtinguitur *in Magiſtratum ab-*

solutè & simpliciter summum, *in Intermedium*, seu summum secundum quid, & inferiorem.

7. *Simpliciter & absolutè summus* est is, qui superiorem Magistratum humanum non admittit, jura Reipublic. proprio jure administrat & executioni mandat, ut est in Imperio Romano Imperator.

8. Sunt autem Jura Reipubl. nihil aliud, quàm jura Majestatis & leges fundamentales, secundum quæ ex communi placito vita socialis intra membra ejus instituitur & regitur. Hæc enim duo omnes legitimas & perfectas Reipubl. formas constituunt & conservant.

9. *Secundùm quid summus seu intermedius* Magistratus dicitur, qui superiorem humanum recognoscit, & ex speciali ejus concessione jura Reipubl. administrat, & executioni mandat, ut sunt in Imperio Romano omnes principes & status Imperii.

10. *Inferiores Magistratus sunt* omnes illi, qui ab intermediis constituti, & eorum vices in gubernanda Republ. administrant, ut sunt Magistratus in municipiis principum & statuum Imperii Romani.

11. *Ratione numeri* distribuitur Magistratus *in Monarchicum & Polyarchicum.*

12. *Monarchicus Magistratus est*, ubi unus inprimis & principaliter jura Reipublic. administrat & executioni mandat.

13. *Polyarchicus Magistratus est* rursum *vel Aristocraticus vel Democraticus.*

14. *Aristocraticus Magistratus* est, quando nō uni præcipua gubernationis cura, sed paucioribus & quidem conjunctim & individuè in omnes & singulos imperium datum est.

15. Per pauciores optimates & nobiliores intelliguntur.

16. *Democraticus Magistratus*, qui aliàs popularis dicitur, est, quando universus Populus Imperium vel Magistratum obtinet.

17. Non verò imperat in Democratia universus Populus ipso actu & exercitio, sed potentia. Exercitium enim Magistratus expeditur per certos deputatos, qui ex singulis classibus, in quas populus distinctus est, eliguntur, ut ejus vicem & locum sustineant, ac optimatum vel Ephororum loco sunt. Ipse verò populus universus Magistratũ obtinet.

18. Dividitur rursum *in Adstrictam & liberam. Adstricta est*, in qua ex omni civium Magistratus eliguntur, ita tamen, ut magis idonei præferantur. *Libera*, in qua omnes promiscuè & indistinctè, successivè tamen ad Magistratum adspirant.

19. Utrum autem illarum formarum sit optima, vetus est & non inutilis altercatio. Nos unicuique formæ ratione temporum, Personarum & locorum suam præeminentiam concedimus, in comparatione tamen non habita, ratione circumstantiarum, Monarchiæ optimatum deferimus, non tantum quod sit antiquissimus & simplicissimus, verum quod ad finem Reipub. propositum assequendum, sit magis idoneus.

20. Creatio Magistratus olim legis & Populi fuit; postquam verò Lege Regia populus omnem potestatem & Imperium in Imperatorem transtulit, factum est, ut hodiè Magistratus creatio sit de Regalibus, & quidem de iis, quæ ad supremam pertinent jurisdictionem. Unde sequitur, non

 priva-

privatorum consensu, sed ab eo, cui hoc regale competit, Magistratum creari & constitui posse.

21. Quamvis ordinatio Magistratus, sit divina, & à Deo immediatè dependeat; modi tamen, quibus Magistratus acquiritur, ut plurimum sunt humani & sic *vel legitimi, vel illegitimi.*

22. Legitimus acquirendi Magistratum modus est rursum *duplex. Ordinarius*, vel *Extraordinarius*.

23. *Ordinarius* acquirendi Magistratum modus, duplici modo expeditu; *Electione* vel *successione.*

24. De utroq;, quis utilior, celebris semper habitus est conflictus. Nos utrumque Reipubl. utilem & jam usu receptum observandum esse dicimus. In Comparatione tamen pro Electione facimus.

25. *Electio* est ordinarius demandandi Imperium modus, per quem Magistratus secundum constitutionem Reipubl. eligitur à subditis.

26. Dependet autem hic modus *vel à lege fundamentali* Reipubl. *vel consuetudine* in Republ. recepta & usurpata.

27. Et sic secundum constitutionem fundamentalem potestas eligendi Magistratum novum competit, *vel universo* populo, *vel parti* populi primariæ.

28. Hinc modus electionis cuiq; Reipubl. ut plurimum est certus.

29. Expeditur autem omnis electio *vel per suffragia, vel sortes.*

30. *Per suffragia Electio* quæ fit, dicitur principalis & fieri debet publicè, secundum Reipublic. & constitutionis tenorem.

31. *Per sortem* vel alio quodam fortuito casu, quando fit electio, dicitur Minus Principalis, quia ad talem modum rarius est deveniendum & non nisi urgentissimâ necessitate urgente.

32. In

tuna bonis quàm maximè pollet.

34. *Quoad bona animi* requiritur inprimis, ut Magistratus sit virtute & eruditione præditus.

35. Virtus in Magistratu considerari solet *tripliciter, Respectu Dei, sui ipsius, & aliorum.*

36. *Respectu Dei* requiritur in Magistratu Pietas. Nam sine Pietate non est, quod boni quid se effecturum, quisquã cogitet. Incumbendum ideoque est, ut quoad maximè fieri potest, eligatur religiosus & pius Magistratus.

37. Ubi *quæstio oritur*: Utrum magistratui impio iniqua præcipienti sit obediendum; an vero armis ac vi resistẽdum? Ad quam quæstionem per distinctiones respondendum esse putamus. Aliud enim est non obedire, & aliud est vi & armis legitimo Magistratui resistere. Quod si contra Dei & naturæ leges Magistratus aliquid præceperit, rectè faciunt subditi, quod non obediant. Quod enim contra Dei & naturæ leges præcipitur, idipsum à nobis fieri nullo modo potest. Aliud verò est, si præceptum utilitatem & commodum nostrum concernat, tunc enim melius & præstabilius esse dicimus, cum jactura & detrimento Reifamiliaris obedire, quàm rebellandi occasionem præbere. Alias impio & infideli Magistratui parendum esse, non dubitatur.

38. *Ipsius Magistratus respectu* requiruntur potissimum 1. Temperantia & Sobrietas. 2. Castitas. 3. Magnanimitas. 4. Fortitudo &c.

39. *Aliorum respectu* requiritur. 1. Prudentia. 2. Justitia. 3. Veritas 4. Clementia.

40. Eruditionem quod attinet, quamvis sint, qui in de-

in defectu planè peccant, & vix ullum aliquod vocabulum latinum proferre sciunt; interim tamen nullo unquam tempore defecerunt, uti neq; hoc nostro imprimis seculo, literatissimi & eruditissimi Magistratus. Ut autem Magistratus sibi acquirat cognitionem artium, linguarum & eloquentiæ, & ut imprimis disciplinis practicis & superioribus duabus facultatibus, utpote Theologiæ & jurisprudentiæ studeat, omninò requiritur. Ut verò ita se dedat literis, ut res gerendas omittat, vel segnius tractet, non cupimus, sic enim suo honori & famæ parum consuleret.

41. Cæterum requirimus in Magistratu, quoad fieri potest, *bona corporis*, ut sunt forma, statura, ætas, sanitas, item *bona extra corpus* posita, ut sunt facultates, ortus, familia.

42. *Circa ætatem* disceptatur; Utrum potius senes, quàm juvenes eligendi? Item utrum juvenibus ullatenus gubernacula Reipubl.. committenda? Posteriorem quæstionem quod attinet, sciendum est, impuberes naturâ prohiberi à Magistratus officio, siquidem ad benè & feliciter gubernandum & maturitas judicii & varius rerum usus, eam ætatem fugiens, requiritur. De minoribus non est una eademq; sententia; sunt, qui legitimam ætatem pro assequendis Magistratibus 25. annum dixerunt juxta *l. ad Rempubl. ff. de muner. & honor.* Alii tamen ætatem 18. an. idoneam esse voluerunt, juxta *l. quidam consulebat. 57. ff. de re judic.* Et quia ex præscripto Aur. Bull. ad Electoratus & alios Principatus Imperii admittuntur juvenes 18. eam ætatem pro assequendis Magistratibus legitimam esse dicimus. Priorem quæstionem quod attinet, nullum est dubium, quin ex præscripto sacræ scripturæ. *Ecclesʃ. c. 8. item. c. 25. & c. 34. & Num. c. 11.* & ex præscripto legum *l. & qui originem §. præses ff. de muner. & honor. l. 2. C. de Primicer. l. sancimus C. de Consulib. gl. in l. ut gradatim ff. de muner. & honor.* Senes præferendi sint minori-

nori-

noribus, ſenes habeāt doctrinam & prudentiam & ſenectus ſtet in eorum recto ſenſu, & adhuc laboribus idonea, quod ſi verò contra ſenectus minus apta laboribus & junior haberet ſcientiam & doctrinam, eo caſu recedendum eſſe dicimus à diſpoſitione juris, & juvenem, dummodo habeat congruam ætatem, in Magiſtratu præferendum eſſe ſtatuimus.

43. Circa *ſexum* etiam quæritur: Utrum fœminæ ad Magiſtratum admittendæ. Pro fæminarum Imperio multa quidem afferri ex Politicis poſſunt. Nos quamvis non planè mulieribus imperium denegemus: ſcimus enim plures fœminas laudabiliter Rempubl. adminiſtraſſe: interim tamen ordinariè fœminis Imperium debere cōcedi, hoc eſt, quod inficiamur. Quod ſi tamen in uno & altero loco ſit conſuetudine receptum & uſurpatum, ut fœminæ ad Imperium admittantur, vel etiam, ſi inevitabilis neceſſitas ſuaderet, ut fœminæ promoveantur, non contradicimus.

44. Circa *ſtatum* non levis eſt quæſtio: Utrum Clerici ad officium Magiſtratus admittendi? Ad quam quæſtionem negativè reſpondendum eſſe putamus, non tantum, quod Clericis opprobrio ſit, ſi peritos diſceptationum forenſium ſe velint oſtendere, *l. repetita & l. placet C. de Epiſcop. & Cleric. c. 1. 2. 5. 8. Extr. ne Clerici vel Monoch. & l. conſulta divalia. C. de teſtam.* Verum etiam, quia in ſacra Scriptura expreſsè interdictum. Matth. 20. Reges Gentium dominantur, vos autem non ſic. Interim tamen, ſi juriſdictio temporalis annexa fuerit dignitati Prælati, tunc eandem adminiſtrare minimè perhibentur. *Abb. in c. inter dilectos. de fide inſtr. n. 2. & C. Clericis, num. 5. Extr. Ne Cleric. vel Monach.* Et ex hoc Principio inductum eſt, ut Cleriri in Electores, Principes & ſtatum Rom. Imperii recepti.

45. Quantum *ad facultates* attinet, controvertitur: Utrum divites Pauperibus præferendi? Pro divitibus faciunt com-

unt communiter, propterea quòd egestas ad malum ut plurimum sit proclivis & curis rerum domesticarum præpeditus negligat negotia publica, vel etiam pretiis & donationibus se sinat corrumpi. Et contra, qui rebus suis domesticis benè consulunt, etiam publicis prospecturos verisimile sit. Verum nisi virtus adsit facultatibus & divitiis, pro paupere virtuoso pronunciandum esse, putamus.

46. *Ortus quoq; ratione* disquiritur, utrum Peregrini, an verò Incolæ & Cives ad Magistratum promovēdi. In qua quæstione pro Civibus pronunciandum esse putamus. Hi n. mores, statuta & animos provinciæ norunt, & animosius, quam exteri res communis Patriæ curant. Nisi fortè circūstantiæ singulares, ut est necessitas & conditio Reipubl. quæ fortè ita turbata, ut per indigenam liberari & restaurari nullo modo possit, efflagitet, ut peregrinus ad Imperium & præsidium vocetur, vel admittatur.

47. *Familiæ insuper ratione*, nobiliori loco & familia ortos, propter stemmatis & insignium reverentiam, lucem & venerationem modo digni sunt, ignobilioribus in Magistratu præferendos esse putamus.

48. Et quia in Magistratum singuli suos oculos fixos habent, sedulò curandum, ne eligantur vita viles, improbatæ vitæ aut infamia notati, sed probatæ fidei & integræ vitæ. Nam in vitā, acta & facta Magistratus, homines veluti speculum intuentur.

49. Controvertitur etiam hoc loco circa effectum electionis, utrum quis delatum Magistratum recusare possit? Quæ quæstio, quamvis hodiernis temporibus otiosa videatur, ubi nedum unicum officium Magistratus ferè recusatur, sed potiùs plures simul ambire & se obtrudi nō pudet; interim, si fortè hæc tempora mutarentur, discutiendā hanc quæstionem duximus. Quamvis Magistratus officium sit

labo-

laboriosissimum, ita, ut referente Plutarcho, Demostenes adolescentes ad se venietes admonere solitus sit, ne ad Rempub. se conferrent, affirmando, si duæ essent viæ ab initio positæ, una, quæ ad Rempubl. & altera, quæ ad interitum aperte ferret, essentq; cognita & manifesta illa omnia, quæ gerentes Respubl. subire oporteret, illam potius electuros esse homines, quæ ad interitum ferret, nam si male quis administraret, Deos; si verò bene, cives haberet iratos: Proinde servile omnino videatur, & quis cogi ad *M*agistratum debeat: Interim tamen eam sententiam amplectimur, ut *M*agistratus delatus acceptari debeat, & quis cogi possit ad *M*agistratum, ordinariè delatum accipiendum. Constat enim Athenienses illos, qui *M*agistratum recipere detrectarunt, capitis pœna, Romanos libertate, Spartianos patria, mulctasse. Interim tamen cum inviti careant stimulis ad res benè gerendas, si delectus haberi possit, invitum cogi non debere arbitramur.

50. *Successio*, est alius acquirendi *M*agistratum modus ordinarius, quo quis *M*agistratui Prædecessori, vita defuncti, succedit alius.

51. Estque *duplex*: *A testato*, vel *ab Intestato*.

52. *Testamentaria successio* est, qua quis ultima prædecessoris sui, plenum de suo imperio jus disponendi habentis, voluntate, in locum prædefuncti *M*agistratus succedit. Sic Julius Cæsar Octavium, Octavius Tiberium Neronem, Tiberius Cajum Caligulam, testamento Cæsarem instituit.

53. *Legitima seu ab intestato successio est*, qua sine facto hominis ipsa lege officium *M*agistratus primò liberis masculis & deinde Agnatis, secundum gradus prærogativam defertur.

54. Circa liberos porro successio non est uniformis, sed pro moribus & institutis cujusq; Reipubl. varia. In ele-

ctoratibus & aliis quibusdam feudis majoribus dignitatem regalem annexam habentibus, primogenitus, vel natu major duntaxat succedit, & in tantùm idipsum in Imperium, Romanum per Constitutionem Aureæ Bullæ & pactis hæreditariis est inductum, ut & præmortui primogeniti filius patruum suum, secundo vel tertio loco genitum excludat, nec intersit, utrum primogenitus ante vel post acquisitum à Patre imperium sit natus.

55. In tantum enim faciem illam Romani Imperii, quæ fuit tempore Justiniani, qua vel speciali lege, Senatus-Consulto, principali concessione aut jure *M*agistratus competebat, immutatam hodiè habemus.

56. Hinc pariter ea, quæ de mero mixtoq; imperio ac simplici jurisdictione in liberis juris nostri subtiliter disputantur, notissima omnium ferè locorum consuetudine commutata esse, videmus.

57. Distinguitur enim hodiè jurisdictio generalissime sic dicta, *in supremam sive absolutam, & in supremam secundum quid.*

58. *Simpliciter & absolutè suprema jurisdictio* competit in Romano Imperio duntaxat Imperatori. Ab Imperatore enim jurisdictio omnis fluit, atq; refluit. Hinc dicitur Oceanus jurisdictionis.

59. *Absoluta secundum quid* competit hodie in Romano Imperio Principibus & statibus Imperii. Nam videmus Imperatores Romanos principibus & statibus Imperii Romani, Ducatus, Marchionatus, Landgraviatus, cum omnibus pertinentiis & juribus superioritatis, **mit aller Landes Fürstlicher Obrigkeit/** Imperali tamen superioritate excepta, concessisse. Quo nomine Regalia hodiè deberi, exceptis illis, quæ sunt incommunicabilia, dubium non est.

60. Porro dividitur hodiè jurisdictio in genere sic

dicta,

Non ergo omnimoda & plenissima jurisdictione veniunt Regalia. Partim quòd Regalia cum Jurisdictione nihil habeant commune, nec sub ea, tanquam genere contineantur, partim quòd soli Principi reserventur & non nisi specialiter vel titulo **Fürstliche oder Landes-Obrigkeit** tribuantur.

62. Inferior jurisdictio, non solum complectitur ea, quæ ad simplicem jurisdictionem, referuntur, sed & nonnulla ex iis, quæ mixti sunt imperii.

63. Extraordinariè acquiritur Magistratus armis, justis tamen & justa de causa susceptis. Item interdum ratione contractus, puta emptionis & venditionis. Item ratione dotis, pactorum hæreditariorum &c.

64. Administrationes Magistratuum perpetuas cuilibet statui consultiores statuunt multi. Nos tamen perpetuum Monarchiis, annuum verò Populari & Aristocratico expedire, putamus.

65. Magistratus constitutus inauguratione & jurejurando confirmari solet.

66. Est autem inauguratio ceremonia solemnis & publica, qua in quasi possessionem jurium Regni immittitur, & investitur novus Magistratus.

67. Modus verò inaugurationis cuiq; populo certus esse solet.

68. Partes principales inaugurationis sunt. 1. ut Magistratus novus populo in publico sistatur & proclametur. 2. Ut ei insignia Regni tradantur. 3. Ut sacris initietur, inungatur vel alio modo consecretur. 4. Ut fiat publica adclamatio & congratulatio.

69. Ad adjuncta inaugurationis referuntur 1. spectacula inauguralia, epulæ, insignia, ut sunt corona, fascia, pileus, diadema, sceptrum, gladius, hasta, pomum, globus, liber fœderis, & legis, claves, securis, virgarum fasces, baculus, amictus, sigillum, titulus.

70. Finis inaugurationis est, ut novus Magistratus in quasi possessionem jurium Regni immittatur.

71. Jusjurandum est, quo se novus Magistratus concepta juramenti formula subditis suis obligat. In Imperio nostro vocatur capitulatio.

72. Officium Magistratus consistit in eo, ut justitiam administret & omnia ad publicam, omniumq; subditorum salutem dirigat. Secus qui fecerit, Magistratus nomine est indignus. Siquidem in eo auctoritas & præeminentia Magistratus consistit, ut suum cuique reddat, delicta puniat & ad publicam & singulorum utilitatem omnia dirigat.

73. Ex quibus rectissimè infertur, Magistratum non propter se, sed propter subditos Reipubl. præfici.

74. Ut autem unus pluribus Magistratibus præficiatur, improbandum esse putamus. Nam unum opus ab uno optimè perficitur. Hinc qui plura simul officia Magistratus arripiunt, in illos, quod olim Athenis de Metiocho quodam civilum sermone circumferebatur, quadrare videtur: Metiochus exercitum ducit, Metiochus vias curat, Metiochus farinam tractat, Metiochus cunctis aliis præest, Metiochus itaq; plorabit Plutar. de Republ.

75. Cum ergo impossibile sit, ut unus tantum gubernationis munus in Monarchiis sine ope aliorum obire possit, necessitas regiminis efflagitat, ut probatos constituat Ephoros, eosq; consulat & singulis administrationibus singulos præficiat.

76. Ephori in Imperio nostro sunt duplices *Generales* & *speciales*.

77. E-

77. *Ephori generales*, quibus ſumma Reipubl. cura eſt demandata, qui totum populum repræſentant, ſunt ſeptem Electores.

78. *Ephori ſpeciales* ſunt, quibus provinciæ, regionis vel partis tutela inſpectio & cura commiſſa, quales ſunt in Imperio noſtro Duces, Marchiones, Landgravii, Principes, Comites, Barones. Hi enim in comitiis ad deliberationem negotiorum publicam admittuntur.

79. Juriſdictio Magiſtratui competens non eſt uniformis. Alii enim habent pleniſsimam ſive omnimodam juriſdictionem & merum Imperium: Alii inferiorem & mixtum imperium.

80. Omnimodam juriſdictionem & merum Imperium habet Imperator proprio jure. Reliqui verò Principes & ſtatus Imperii beneficio Imperatoris.

81. Inferiorem juriſdictionem & mixtum imperium habent omnes, qui jure magiſtratus, vel mandatam juriſdictionem habent, & ejus juriſdictionis Magiſtratus municipalis non eſt expers.

82. Exercet Magiſtratus ſuam juriſdictionẽ in ſuos ſubjectos. Subjicitur autem quis juriſdictioni Magiſtratus tribus modis. 1. Ratione domicilii. 2. Ratione contractus. 3. Ratione delicti.

83. Per domicilium non domum ſed jus, quo quis cum aliis civibus utitur, intelligimus. Et ſic poteſt quis habere domicilium abſq; domo, uti & domum abſq; domicilio. Unde rectè dicitur, quod ſola domus domiciliũ non faciat.

84. Eſt autem domicilium quadruplex. 1. Originis. 2. Habitationis. 3. Bonorum. 4. Beneficii Eccleſiaſtici, in quo quis reſidet.

85. Inter domicilium Originis & Habitationis hoc intereſt, ut in loco domicilii habitationis quis cõveniri poſ-

ſit

ceſt, quamvis ibidem non reperiatur; at in loco domicilii originis non convenitur quis, niſi ibidem reperiatur.


86. Inter ſubjectionem ratione contractus & delicti hoc intereſt. Nam in loco contractus non ſortitur quis forum, niſi ſimul etiam in loco contractus reperiatur. In delictis verò præſertim atrocioribus, ſolent plerunquè in Germania noſtra propter exemplum, jure amicitiæ, vicinitatis ac benevolentiæ precatio ad locũ delicti ſub antigrapho ſive literis reverſalibus remitti.

Ad Nobiliß. & Doctiſs. Dn. Reſpondentem,

Dn. JOHANNEM à Broel COGNOmento Plater, amicum ſuum honorandum.

Schema Magiſtratus divinum ſchema, quod omni
Plater *amat genii ritè probare modo:*
Hinc ſeſe oſtendit cathedrâ ſpectabilis altâ,
Callidus adverſas diſſolüiſſe plicas.
Plaude genus Clarium juveni, ſplendeſcit in illo
Schemate doctrina, nobile ſchema viri.
Plaude favor ſuperum, quondam ſplendeſcat in illo
Schema Magiſtratus nobile, ſchema Dei.

Ita favens vovet



Ludovicus Jungerman M. D. Profeſs. & Botan. ordin. Acad. Gieſſ.

FINIS.